



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetae Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs LXXII. Deus, iudicium tuum Regi da &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

Fregerit, in facie & ruga senilis erit.  
Fac, referam ut seris tua facta nepotibus, utq;  
Posteritas discat brachia nosse tua.  
Iusticia est sine fine, Deus, tua celsa, nec ullus  
Talia qui faciat, vivit in orbe Deus.  
Tu mea ut affligis curarum mole fatigans  
Pectora: sic eadem vivificare soles.  
Tu reuocas terra suppressum mole profunda,  
Ut recreet vires luminis aura meas.  
Tu me magnificum facis, & sustollis in altum,  
Solarisq; humilem, cum mihi dexter ades.  
Ergo tibi grates mea nunc Psalteria dicant,  
Pro cunctis meritis, pro bonitate tua.  
Quinetiam cithara meditabor psallere sancto,  
Cuius in Israël gloria nota, Deo.  
Vis anima tibi tota mea, à te Jona redempta,  
Lata canet laudes & me a lingua tuas.  
Namq; pudefacti fugient, probrisq; notati,  
Noxia qui misero damna parare student.

PSALMVS LXXII.

Deus, iudicium tuum Regi da & c.

O Deus



**O** Deus, immensa est cuius sapientia, cuius  
    Numine regnorum stantq; caduntq; throni.  
Tu da iudicium Regi, quo iudicet æquum,  
    Da soboli Regis iusticiamq; tuam.  
Ut populo dicat ius toti aqualiter æquis,  
    Legibus & miseros fasce grauante leuet.  
Producant montes placida & pia munera pacis,  
    Et populis colles germina iusticia.  
In iuste oppressos bonitate & iure iuuabit,  
    Consulet exulibus rex, reprimetq; malos.  
Te talem Dominum & regem gens iusta timebit,  
    Dum per agent cursus lunaq; solq; suos.  
Ut pluuia in vellus cadit, inq; virentia prata:  
    Gratia cœlestis sic pia corda riget.  
Florebunt ipso iusti regnante, vigebit  
    Aurea pax, Luna cornua donec erunt.  
Imperium Oceani hoc ne finiet vnda, nec vllum  
    Huic poterit flumen limitis esse loco.  
Procumbent coram Rege hoc deserta colentes,  
    Lingetur Domino puluis ab hoste soli.  
Et maris ac Arabum populi Regesq; Sabai (rent.  
    Dona sua huic Domino, & munera grata fe-  
Supplice prostratus gestu hunc Rex omnis adoret,



*Huic Regi humanum seruiet omne genus.  
Nam miserum eripiet clamantem rebo in arctis,  
Liberat oppressum, qui caret auxilio.  
Parcet is afflictis & paupertate grauat,  
Propitiusq; inopem nulla ope egere sinet.  
Ex vi, fraude, dolis, animas redimendo iuuabit,  
Iustus & effusi sanguinis ultor erit.  
Viuet in aeternum: illi aurum dabiturq; Sabaum,  
Semper adorabunt laudibus huncq; ferent.  
Lata seges celsis terrarum montibus orta  
Fructus erit, Libani vertice celsa mouens.  
Vrbibus ac fruges nata per tecta virebunt,  
Ut solet herbarum fertilis esse viror.  
Tanti igitur Regis clarescet fama per orbem,  
Donec in hoc caelo semita solis erit.  
Lataq; posteritas se censens esse beatam,  
Hoc Domino, ipsius nomen ad astra feret.  
Laudetur Dominus Deus Israelis ubiq;  
Solus is in terris facta stupenda facit.  
Gloria celsa Dei maneat benedicta per euum,  
Plenaq; sit mundi machina laude Dei.*

PSAL.